

tertiam iuxta conciliares leges, et statuta Ecclesiae, ita ut duo ex tribus partibus Choro semper interessent, exceptis temporibus, in quibus omnes, et singuli tenerentur interesse, nempe tempore Adventus, Quadragesimae, in Dominicis Septuagesimae, Sexagesimae, Quinquagesimae, necnon in omnibus solemnioribus diebus et Festis de praeco, et Octavis privilegiatis. In Vigiliis. Servitii Chori die 15. Junii 1816.

(37. Constat de credito definivit Sacra Congregatio Capituli Vaticani adversus jam Canonicum Martorelli, qui tempore invasionis Choro interfuit, et distributiones percepit, quas lucraturi erant ii Capitulares, qui ob recusatum illicitum juramentum vel recitationem precum veterum, Choro non interfuerunt, quas distributiones restituendas esse jussit Rescriptum SS. diei 7. Septembris anni 1815. ex mensualitatibus eorum, qui has distributiones ceperunt; rejecit praeterea Sacra Congregatio compensationem hujus crediti favore Capituli, cum altero credito ipsius Martorelli utpote illiquido. In Romana Crediti seu Compensationis die 15. Junii 1816.

(38. Sacra Congregatio, attentis peculiaribus circumstantiis, confirmandum censuit ad triennium indultum ab Episcopo Aquilano ex facultatibus sibi oretenus impertitis a Delegato Apostolico concessum Capitulo, ut Chori servitium praestaret diebus festis de praeco, tempore Adventus et Quadragesimae, ac octavarum D. N. et SS. Corporis Christi. Aquilana Servitii Chori die 23. Novemb. 1816.

(39. Abbati Spada, veluti quartae dignitati Metropolitanae Ecclesiae Lucanae, competere jus Missam canendi diebus solemnioribus, si illam Archiepiscopus non cantet, necnon eundem habere vocem activam in Capitulo, quando de rebus spiritualibus, et mixtis agatur; non vero si de rebus tantum temporalibus, quamvis tunc Capitulo interesse possit, dixit haec Sacra Congregatio, quia redditibus Capituli non gaudet, neque temporalia onera sustinet; eamque ob causam decrevit quoque, ut ad munera Capitularia eligi possit, et illa obire, si spiritualia et mixta sint; si vero temporalia, tum solum poterit, cum ad formam Bullae erectionis Abbatiae suae redditus in massam Capitularum contulerit. Tandem censuit eidem competere jus percipiendi emolumenta legatorum, quae post Abbatiae foundationem erecta fuere. In Lucana Praeeminentiarum et jurium 26. Februarii 1818. ad 1. 2. 3. 4. et 5. Dub.

(40. Quam concordiam inter Capitulum terrae Arquati, et Archiepiscopum Antonium Mariae Podestà, qua plura in pristinum reducebantur, plura in melius commutabantur, etiam in reliquis omnibus ejus capitibus approbavit Sacra Congregatio juxta votum E. Relatoris. Ibid.

(41. Cum dispositioni Concilii Tridentini non adversaretur, ut quatuor Canonici Vicarii exercerent Curam animarum adnexam Capitulo Collegiatæ Castri Arquati, approbavit Sacra Congregatio illud caput concor-

diae initae ab hoc Capitulo cum Archiepiscopo Antonio Maria Podestà, in qua statuebatur, ut Cura actualis resideret apud quatuor non ut antea mansionarios, sed Canonicos Vicarios, quae invasionis tempore ab Episcopo Fallot de Beaumont absque ulla auctoritate ablata fuerat Mansionariis et concedita Archiepiscopo Antonio Maria Podestà. In Placentina Concordiae die 12 Jun. 1818.

(42. Cum ageretur de actu voluntario et non necessario contra antiquam consuetudinem, censuit S. C. non esse approbandam resolutionem Capitularem, licet a majori parte, non ab integro Capitulo Alatrinae Ecclesiae factam die 18 Januarii 1817, in qua resolutum fuerat Capituli Officiales non esse proponendos a Decano Canonicis secreto suffragium laturis, sed omnia propositione Decani, esse per secreta suffragia eligendos. In Alatrina die 17 Junii 1820. ad 1. dub.

(43. Cumque praefatum Capitulum Alatrinum non haberet Capitulares Constitutiones legitime confectas et approbatas, decrevit eadem S. C. providendum esse quoad futurum ad formam S. Concilii Romani titulo 2, cap. 4, et decreti synodalis anni 1790. Episcopi Speranza. Ibid. ad 2. dub.

(44. Sacra Congregatio decrevit constare de spolio illato Capitulo Collegiatæ S. Mariae Assumptionis vulgo di Piazza Civitatis Novarum ex decreto Episcopi Villaret, quo eidem Capitulo sublatum fuit jus privativum benedicendi fontem Baptismalem, et Cereum Paschalem in die Sabbati Sancti cum interventu Parochorum SS. Petri, Andreae et Nicolai, vel per se, vel mediantibus eorum deputatis, nec non in eadem die pulsandi campanas ante caeteras Parochiales Ecclesias, atque distribuendi in Feria V, in Coena Domini Olea Sancta caeteris Parochis, ita ut Capitulo concesserit manutentionem, et quatenus opus esset redintegrationem. Ibid. ad 1. Dub.

(45. Capitulum Collegiatæ Novi manuteneri in possessione juris peragendi Exequias in propria Ecclesia, et percipiendi emolumenta funeralia juxta solitum, non obstante constructione publici Coemeterii, statutum fuit a Sac. Congregatione. In Derthonen. Spolii, Manutentionis, et Redintegrationis die 14 Aprilis 1821. ad 4. Dub.

(46. Prorogavit Sacra Congregatio iudicium antequam aliquid decerneret circa obedientiam a Capitulo et Clero Ortonensi praestandam Archiepiscopo Lancianensi in pervigilio SS. Apostolorum Petri et Pauli, quo edicto eos obligare voluit. In Lancianen. die 21 Julii 1821.

(47. Juxta doctrinam a Benedicto XIV. traditam aliasque decisiones hujus Sac. Congregat. eadem decrevit, non potuisse Adriense Capitulum in electione Vicarii Capitularis sibi reservare jus Confessiones excipiendi, absolvendique a reservatis. In Adriensi. Jurisdictionis 30 Maii 1827. ad 1 et 2. Dub.

(48. Cum nullius extiterint momenti, quae pro sui exemptione protulerat, declaravit S. Cong. Capitulum Arborense sui Archiepiscopi jurisdictioni subesse, et jussit scribi Archiep. ad mentem, facto verbo cum SS. In Arboren. 18 Julii 1833. ad 4. Dub.

(49. Capitulo Puteolanae Cathedralis mandavit S. Congreg. ut intra sex menses Capitulares conficeret Constitutiones, ab Episcopo approbandas, quia iis omnino carebat. In Puteolana Reductionis servitii Chori 4 Junii 1836. ad 3. dubium.

(50. Cum Leo XII. in restauratione Ecclesiae Collegiatæ Ophidanae Capitulo onus et curam omnimodam trium illius oppidi parochiarum imposuisset; curam autem ab aliquibus ex Canonicis gerendam decrevisset, hinc orto dubio, parochis an capitulo archivii parochialis constructio, S. supellectilium emptio omniumque manutentio incumberet, S. C. omnia ad Capitulum pertinere pronuntiavit. Asculana, literarum Apostolicarum 20 Jan. 1838. ad 9. dub.

(51. Abbati, qui ex Bulla erectionis Collegiatæ Sanctae Mariae de Remedio Caput Capituli constitutus fuerat « cum superioritate, jurisdictione, et correctione in spiritualibus, et temporalibus in his tantum, quae ad ipsam Ecclesiam pertinent » et cum facultate super his statuta cum Capitulo condendi, ab Ordinario loci approbanda; jurisdictionem competere quoad internum ejusdem Ecclesiae regimen cum dependentia ab Ordinario, definivit S. C. In Januen. literarum Apostolicarum 2 Junii 1838. ad 5. dubium.

(52. Administratoribus Ecclesiae Collegiatæ S. Mariae de Remedio Januensis Civitatis Missarum stipendia Capitulo denegantibus, nisi fidem de satisfactione Missarum exhiberent, S. Congregatio inspecta praesertim concordia inter ipsos et Capitulares unanimiter inita, definivit, per Canonicum Camerarium fidem tantum exhibendam esse de regularitate libri in quo Missae adnotantur. Januen. literarum Apostolicarum 2 Junii 1838. ad 1. dub.

(53. Deinde censuit ad formam Apostolicarum literarum, non administratoribus sed Abbati et Capitulo exclusive competere facultatem eligendi, et amovendi Ecclesiae et Sacristiae inservientes, quamvis ab illis conventa stipendia solverentur. Ibidem ad 2. dub.

(54. Et si in literis erectionis Capituli Ecclesiae Collegiatæ Montis Georgei disponeretur ut cum Capitulo applicarentur bona quaedam tunc ab aliis retenta, Canonici quotidiano chori servitio adstringi deberent: cum tamen ubi ejusmodi casus advenit Massa

#### CARDINALES.

##### S. CONGREGATIONIS CAEREMONIALIS DECRETA.

(1. Sacra Congregatio Caeremonialis cuiuscumque abusus et novitatis eliminationi sedulo, ac provide intenta, et ad amplissimam praecipue Sacri Cardinalatus digni-

Capitularis ingentibus expensis exhausta fuisset, et magnis pensionibus etiam post-hac aliquo pro tempore gravaretur; Canonici per alios quindecim annos a quotidiani chori Servitio eximi postularunt, obtinueruntque a S. C. ad quinquennium, facto verbo cum SS. Firmana servitii chori 28 Julii 1838.

(55. Episcopus Ceriniolensis novam ineundam esse contendens partitionem reddituum, qui pro distributionibus quotidianis in Bulla erectionis assignantur, petit cogendos esse Capitulares ut, qui superent redditus in Cathedrali Ecclesiae ampliatiorem erogent. At cum in responsione ad primum dubium ab eo excogitatum partitionem rejecerit S. Ordo, hinc ad aliam dubii formulam super hac altera petitione concinnatam respondit: Provisum in primo: In Asculana et Ceriniolen. Literarum Apostolicarum die 22 Augusti 1839. ad 2. dubium.

(56. Conquestus idem Episcopus Capitulares vel nil, vel parum pro Ecclesiae fabrica, et sacris supellectibus contribuisse, postquam ea ad Cathedralis honorem erecta est, postulavit, ut aliqua summa, quam indefinitam reliquit Bulla erectionis, praefiniatur quotannis impendenda in Ecclesiae Fabricae ac sacrarum supellectilium manutentionem; ac neque huic petitioni, (cum nihil de ea summa praefinisset Pontifex in sua Bulla) annuere duxerunt EE. PP. edito responso: negative, et serventur Literae Apostolicae: In eadem ad 4. Dub.

(57. Reclamante Capitulo Collegiatæ montis Falci contra novam Procuracionem partendi methodum ab Archiepiscopo inductam, quia praesertim ab hac plures gravabantur contra jus sibi acquisitum per longævam, et legitimam consuetudinem, S. Congr. perpendens consuetudinem haud dubie sese exerere posse non quidem contra alios gravatos, quatenus scilicet alii praesertim graventur in persolvenda procuracione, servandam esse consuetudinem respondit. In Spoletana Procuracionis die 3 Decembris 1839.

(58. Ex Capitulari statuto, et consuetudine immemorabili sibi vindicantibus Ecclesiae Cathedralis Ausculanae Mansionariis vocem in capitulo quoad Capitularis Vicarii electionem; ad tutiorem rei definitionem placuit causam differre, ut interim audiretur iterum Episcopus, qui referret accuratius de consuetudine, transmissis particulis actorum praecedentium electionum Vicariorum Capitularium, et exquireretur votum E. Polidori. Asculana Ceriniolen. Vocis in Capitulo die 24 Nov. Resolutiones an. 1842.

tatem in sibi debito decore conservandam, decreta jam confecta diligentissime examinavit, auxilium, et in formam ut infra redegit.

(2. EE. DD. Cardinales nuper creati, etiam ab Oratoribus Principum ante suscepta Car-

dinalatus insignia private fuerint visitati, eos tamen nullo modo revisitabunt, nisi prius publice ab iisdem Oratoribus fuerint visitati post suscepta huiusmodi Cardinalatus insignia. die 16 Novembris 1627.

(3. Nuper Sacro Collegio adscripti ante solemnem receptionem Galeri rubri quoscumque alios DD. Cardinales non visitent, neque ab iis etiam sub prætextu, quod clam, et private id fiat, visitentur, neque eis ad Urbem accedentibus ante præfatam Pilei rubri receptionem ab aliis DD. Cardinalibus Romæ degentibus obviam eatur. Excipiuntur tamen DD. Cardinales, quos contigerit Sede Vacante ad Urbem accedere, non habitis Cardinalitibus insigniis, quibus et cæteris DD. Cardinalibus licet se mutuo invisere; Conclavi autem recluso, qui prædicta Cardinalatus insignia suscepturi sunt, donec illa susceperint ab aliis DD. Cardinalibus nullo modo visitentur, aut alios visitent. die 19 Novembris 1627.

(4. A quocumque visitati cujusvis gradus, et conditionis ille fuerit, exceptis Principibus illis, quibus locus in subselliis eorundem DD. Cardinalium cum Capellæ Pontificiæ intersunt designari consuevit, dum abeuntes domo deducunt, nullum scalarum gradum descendant. die 16. Novembris 1627.

(5. In Ecclesiis, et in omnibus aliis locis et actionibus publicis, quibus DD. Cardinales interfuerint, nunquam in eodem scamno, genuflexorio, seu pari sella assideant, seu genuflectant, nisi cum illis Principibus, qui in subselliis DD. Cardinalium, et in Capella Pontificia locum obtinent. die 7. Februarii 1636.

(6. Cum per Urbem Rocchetto induti incedunt, quocumque modo proficiscantur, nemini subsistant: liceat tamen Governatori Almæ Urbis, Vice Camerario, Senatori etiam Urbis, ac Oratoribus Principum, qui Aula Regia gaudent, officium huiusmodi exhibere. Cæteris autem Magnatibus, et Status Ecclesiastici Baronibus, etiamsi Pontificis viventis Fratres, aut Nepotes fuerint, gradum non sistant. die 7. Februarii 1636.

(7. Cum sine Rocchetto per Urbem proficiscuntur, liceat ipsis, si libuerit, ex ordine Ecclesiastico Patriarchis, Episcopis, Auditori Cameræ Apostolicæ, Thesaurario Generali, utriusque Sacri Palatii Apostolici Præfecto, et Decano Collegiorum, Protonotariis, Sacræ Rotæ Auditorum et Cameræ Apostolicæ Clericorum; Ex ordine vero Laicali illis Magnatibus Status Ecclesiastici, qui fuerint Ducatu vel Principatu insigniti, et Civitates et Castra, quorum Duces seu Principes nuncupantur, possederint in Statu Ecclesiastico, officium salutationis reddere subsistendo, dummodo ab illis prius DD. Cardinales visitati fuerint; Magnatibus vero exteris huiusmodi officium deferri poterit ab aliis DD. Cardinalibus, qui ab illis visitati fuerint, ac tres antiquiores DD. Cardinales hujus Sacræ Congregationis, audito, si libuerit, primo R. Cæremoniarum Magistro id convenire judicaverint; Cæteris vero quocumque gradus, conditionis, vel dignitatis extiterint,

DD. Cardinales salutationis reddendæ gratia, nullo modo subsistant. die 7. Feb. 1636.

(8. Nemini ex DD. Cardinalibus liceat, etiamsi fuerit invitatus, publicis umquam Disputationibus, Academiis, Laurearum traditionibus, aliisque similibus actibus interesse, nisi eorum tantum, qui Sacri Palatii, vel Rotæ Auditores, vel Advocati Consistorialis Aulæ fuerint designati, necnon exceptis tribus Orationibus, quæ in Collegio Romano, initio Studiorum, in laudem B. Aloysii Gonzagæ, et funebri fel. rec. Gregorii PP. XIII. singulis annis peraguntur, quibus quatuor tantum E. DD. interesse poterunt, declarando huic præsentis decreto eos DD. Cardinales obnoxios non esse, quibus alienius Collegii protectionis munus demandatum est, vel quibus conclusiones, seu Theses, et actiones huiusmodi dicatæ fuerint, illorum siquidem præsentia tales cœtus decorari posse non prohibetur.

(9. Excipitur præterea Academia Convictorum Collegii Clementini, semel in anno in honorem Assumptionis B. M. Virginis solemniter celebrari consuetæ, cui quatuor tantum E. DD. Cardinales, E. D. Cardinali Collegii pro tempore Protectore inter quatuor adnumerato, poterunt interesse. die 11. Julii 1702.

(10. Non erigantur Umbellæ seu Baldacchina occasione Thesium, aliorumque actuum Scholasticorum, in quocumque loco, nisi pro Summo Pontifice, Regibus etc. et Cardinalibus in Titulis, et Diaconiis, necnon in Monasteriis, et Conventibus aliisque locis, quæ eorum Protectioni subsunt. die 11 Julii 1702.

(11. Cum tres DD. Cardinales in curru simul incedunt, quocumque habitu utantur, prælatos, seu alias personas non admittant. die 6. Jul. 1699.

(12. E. DD. Provinciarum Legati hospitio recepturi Oratores Principum ad Urbem properantes, vel ab ea revertentes, ipsis obviam non procedant. Quo vero ad eorundem oratorum exceptionem in propriis Legatorum Domibus, servabitur consuetus, et approbatus mos cujuscumque Legationis. die 18 Julii 1701.

(13. E. DD. cum primum Oratores Principum ad Urbem pervenerint, nisi prius fuerint certiorati nomine eorundem Oratorum de sequuto ipsorum adventu, suos nobiles Familiares officiositatis gratia ad eosdem Oratores non mittent. die 18 Julii 1701.

(14. Observetur decretum antiquum, quocautum est, Ablegatos Principum excipiendos fore sine lemniscis, vulgo *Fiocchi*, et sine titulo Excellentiæ, nulla habita ratione ad quemcumque gradum, dignitatem et præminentiam, aut natalium qualitatem, quibus ipsos coruscare contigerit. die 15 Julii 1704.

(15. E. DD. occasione luctus e Rocchettiis lacinia, vulgo *Merletti*, necnon a Pileis cingula aurea quocumque tempore non auferant, et sicuti in persona, et in proprio curru nil luctus habere debebunt, ita neque in Domibus, neque in curribus quibuscumque. die 18 Julii 1701.

(16. Cum Eminentissimi DD. Sacris Para-

mentis induti ex Aula Paramentorum ad Capellam pergunt, et ex ipsa ad Aulam præfatam revertuntur, etiam in supplicationibus, quæ in Paramentis Sacris peraguntur, Caudatarium, et duos nobiles Familiares tantum secum habebunt. die 28 Maji 1702.

(17. Quod Decretum Sanctissimus D. N. Benedictus XIV. extendi jussit, etiamsi Eminentissimi Cardinales in supplicationibus usuali habitu Cardinalitio tantum sint induti. die 18. Augusti 1743.

(18. Dominus Cardinalis Sacrum audiens in privato Oratorio Palatii suæ habitationis, nemini, etiam Cardinali, ad se venienti occurrat. die 16 Novembris 1627.

(19. Dominus Cardinalis Mitram habens, nulli hominum (Romano Pontifice excepto) caput detegat. die 16 Novemb. 1627.

(20. Eminentissimi DD. Cardinales in rebus dubiis quomodolibet Cæremoniale concernentibus Decanum Sacri Collegii, et alium antiquiorem Cardinalem, primum Ministrum Sanctissimi D. N. Papæ consulant, qui in eisdem rebus dubiis Sacram Congregationem convocari mandabunt. die 11 Julii 1703.

(21. Prælati usum Rocchetti habentes, eodem induti Eminentissimos DD. nuper creatos visitabunt, quos denuo cum Rocchetto, ut supra visitabunt, post suscepta Cardinalatus insignia. die 26 Aprilis 1701.

(22. Dicti Prælati, si ab Eminentissimis DD. in propriis Domibus visitabuntur, ipsos Dominos Eminentissimos pro prima vice Rocchetto induti excipient. die 26. Aprilis 1701.

(23. Barones Romani Eminentissimos DD. noviter creatos post suscepta Cardinalatus insignia publice visitabunt, ad formam decreti san. mem. Alexandri VII, 18 Januarii 1667, et qui usque adhuc visitationem publicam non fecerunt Eminentissimis DD. Cardinalibus, nunc viventibus quamprimum expleant. die 5 Decemb. 1702.

(24. DD. Cardinales quando prima vice a principibus magis, qui solent sedere in banco Cardinalium, visitantur, erunt cum Rocchetto discooperto. Idem quoque servetur pro prima, et unica tantum vice toto Cardinalatus tempore, quando visitantur ab Oratoribus sive ordinariis sive extraordinariis, qui aula regia gaudent, et cum Rocchetto, Mantelletto, et Mozzetta illis visitationem reddent, ita ut semel recepto et visitato, ut supra, uno ex prædictis Oratoribus, sive fuerit ordinarius, sive extraordinarius, non liceat amplius DD. Cardinalibus in prædictorum visitationibus Rocchetto uti, sed eos recipient cum subtana et Mozzetta, et in eodem habitu cum Pallio præfatos Oratores visitabunt. Quicumque vero Oratores, qui Sanctissimo Domino Nostro in Consistorio publico obedientiam præstabant, tunc ratione obedientiæ præstitæ, cum Rocchetto discooperto in prima visitatione semper excipiendi, et honorandi erunt, et cum Rocchetto, Mantelletto et Mozzetta illis visitationem reddent. die 4 Sep. 1703.

(25. Eminentissimi DD. cum e Capellis Pontificiis, Concionibus et Consistoriis discedunt, Rocchettum non deponant; et Pallium,

in Ecclesiis, prout in ipsomet Palatio Apostolico, in quibus cum Rocchetto interfuere, non sument. die 9 Decembris 1704.

(26. Eminentissimis DD. habitu communi Confraternitatum indutis, non licebit interesse Missis, Vesperis, et Concionibus earundem Confraternitatum. die 9 Novemb. 1704.

(27. Facta autem per me Prosecretarium relatione Sanctissimo D. N. Clementi PP. XI. Sanctitas Sua non tantum Decreta suprad. laudavit, et approbavit, sed etiam DD. Cardinales memores fore voluit Juramenti in receptione Pilei præstiti de observando omnia et singula Decreta a S. Congregatione Cæremoniali hactenus emanata, et imposterum emanatura pro sublimi ejusdem Cardinalatus honore, et dignitate conservanda. Ad quem effectum eorumdem decretorum exemplar authenticum, quousque illa in reviso ac emendato Libello de varietate, et usu vestium inserta, et Typis tradita, evulgentur, ad omnes et singulos DD. Cardinales, qui ea observare omnino debeant, transmitti mandavit. Hac die 14 Maji 1706.

(28. Quum in S. Congregatione Cæremoniali quædam fuerint proposita, quæ non multo abhinc tempore inducta ejus animadversionem postulare videbantur, inter quæ id erat, quod nonnumquam rubris lemniscis vulgo *Fiocchi*, quibus ornantur equi E. Patrum currus vehentes, alii etiam colores inserti reperiantur; et lemniscorum numerus in insignibus difformiter auctus interdum deprehendatur: eadem S. Congregatio ad uniformitatem debitam restituendam, enunciatis die et mense hæc super iis decrevit.

(29. I. Lemnisci qui equis E. Patrum currus vehentibus aptari solent, colore tantum rubro sint, quovis alio, vel minima ex parte interserto, prorsus excluso.

(30. II. Lemniscorum, qui circum insignia E. Patrum collocantur, numerus ad quindecim utrinque non multis ab hinc annis evector, retineri valeat, majore quolibet numero omnibus interdicto.

(31. Facta autem SS. Domino Nostro Gregorio PP. XVI. per me infrascriptum Secretarium de præmissis relatione, idem SS. Dominus Noster præfata Decreta non solum approbavit, sed inviolabiliter ab omnibus et singulis ad quos ea spectant servari præcepit. Hac die 14. Aprilis 1832. SS. Domini Nostri Pontificatus anno secundo.

(32. Summorum Pontificum Constitutiones et Decreta a novo E. Cardinali antequam in die publici Consistorii Pontificalis Cardinalitio Pileo decoretur, perlegenda, ut in Juramento ea die ab ipso præstando præfatarum Constitutionum, et decretorum tenorem eidem innotescere asserti jure tutissimeque possit, eæ sunt quæ sequuntur, Constitutiones.

(33. S. Pii V. Prohibitio alienandi, et infeudandi Civitates, et Loca S. R. E., vel de eorum alienationibus, et infeudationibus tractandi quovis prætextu, etiam evidentis utilitatis, quæ incipit: *Admonet Nos* etc. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarna-

tionis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo septimo quarto Kal. Aprilis Pontificatus sui anno secundo.

(34. Sixti V. De visitandis certis ac statutis temporibus SS. Petri et Pauli de Urbe Liminibus etc. ab Episcopis, Patriarchis, et aliis Ecclesiarum Primatibus etc. Incipien. *Romanus Pontifex* etc. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octuagesimo quinto, Decimo tertio Kal. Jan. Pontificatus sui anno primo.

(35. Innocentii IX. De confirmatione, et extensione Constitutionis S. Pii V. a Gregorio XIII, Sixto V. et Gregorio XIV. comprobata de non alienandis, et infeudandis Civitatibus, et aliis Locis Sedis Apostolicæ, quæ incipit: *Quæ ab hac Sancta Sede* etc. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo primo prid. Non. Novembris Pontificatus sui anno primo.

(36. Clementis VIII. Comprobatio Constitutionis S. Pii V. ab Innocentio IX. declarata de non alienandis, et infeudandis Locis, et Civitatibus S. R. E. cum alterius declarationis adjectione incipien.: *Ad Romani Pontificis curam* etc. Actum Romæ in Monte Quirinali die 26. Junii millesimo quingentesimo nonagesimo secundo in Consistorio Secreto.

(37. Gregorii XV. Pro applicatione emolumenti annuli Cardinalitii favore Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, quæ incipit: *Romanum decet Pontifcem* etc. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo secundo, Decimo Kal. Julii Pontificatus sui anno secundo.

(38. Urbani VIII. De confirmatione Bullæ Gregorii XV, de electione Romani Pontificis, et Cæremonialis continentis illius Ritum incipien.: *Ad Romani Pontificis Providentiam* etc. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo vigesimo quinto. Quinto Kal. Februarii Pontificatus sui anno tertio.

(39. Innocentii X. Super titulo, et Insignibus et æqualitate servanda inter S. R. E. Cardinales; quæ incipit: *Militantis Ecclesiæ Regimini* etc. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto. Quarto decimo Kal. Januarii Pontificatus sui anno primo.

S. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETUM.

(1. Dominus Robertus Van-Ommereu, Superior Monasterii Ordinis Cisterciensis de *Belle-fontaine* in Belgio, Sacræ Congregationi Episcoporum et Regularium exposuit, hoc suum monasterium, utpote communi observantia addictum, dispensatum esse a carnis abstinentia diebus Dominicis, feria tertia, et quinta, excepto Adventu ac tempore, quod a Dominica Septuagesimæ ad Pascha

(40. Alexandri VII. De Bonis Ecclesiæ non alienandis: Incipien.: *Inter cæteras animi sollicitudines* etc. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimo Nono, Kal. Novembris Pontificatus sui anno sexto.

(41. Innocentii XII. Moderatoria de Donationibus, et distributione reddituum Ecclesiasticorum in Consanguineos, vel Affines Romani Pontificis, seu eorum loco adlectos, ac præscribens cautelas servandas circa signaturas earum gratiarum, quæ aliquando ægrotante Romano Pontifice per concessum fieri dicuntur, quæ incipit: *Romanum decet Pontifcem* etc. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo secundo, decimo Kalend. Julii, Pontificatus sui anno primo.

(42. Decretum Consistoriale Clementis VIII, abrogans decretum, et declarationem Gregorii XIV, circa Constitutionem S. Pii V Prædecessoris super infeudatione, seu alienatione Civitatum, Terrarum etc. Apostolicæ Sedi mediate, et immediate subjectarum, etiam sub prætextu necessitatis, et evidentis utilitatis Patrimonii S. R. E. edit. in Consistorio Secreto habito Fer. 6. die 26 Junii 1592.

(43. Decretum insuper Consistoriale Urbani PP. VIII, de Civitatibus Urbini, Euginii, Callii, toto Urbini Ducatu, Civitatibus Pisauri, Senogalliæ aliisque oppidis, et Locis quibuscumque per obitum bon. mem. Francisci Mariæ ultimi Ducis; seu alias ad Sanctam Romanam Ecclesiam, et Sedem Apostolicam devolutis, et recuperatis, emanatum in Consistorio Secreto habito die 12 Maii 1631.

(44. Decretum alterum Alexandri PP. VII, de unione, et incorporatione S. Sedi, et Cameræ Apostolicæ Ducatus Castri, Status Roncilionis, et cæterorum locorum in venditione comprehensorum in Instrumentis Cameralibus subjiendo omnia comprehensa in constitutione Papæ Pii V, edit. quarto Kal. Aprilis anno 1567, decernens unita, et incorporata tam præfatum Ducatum Castri, et Statum Roncilionis, quam alia loca omnia, Terras, et Oppida etc. sub die 20 Decembris 1660, in Secreto Consistorio, S. R. E. Cardinalium audito consilio, editum.

CARO.

protenditur; ut ferunt Literæ Apostolicæ in forma Brevis Alexandri VII, anni 1666.

Cum vero in hisce literis casus non consideretur, quo aliquis Monachus vel ratione muneris paræcialis vel itineris in itinere extra Monasterium cibo sese reficere oporteat; itemque nihil de disciplina in Hospitio tenenda declaretur; itaque ad quaslibet dubitationes, ac dissensionum periculum amovendum, quasdam regulas conscripsit, easque a Sancta Sede confirmari supplicavit. Hæc vero sunt, quæ sequuntur:

« Tutta la Comunità si astenga dalle carni. 1. In ogni giorno dell' Avvento. 2. Ogni giorno della settuagesima sino a Pasqua. 3. In tutti i Lunedì, Mercoledì, Venerdì e Sabato. »

« Che nell' Ospizio 1. non si somministrino carni nell' Avvento, e dalla settuagesima sino a Pasqua, ed in tutti i giorni vietato dalla Chiesa. 2. che dai monaci i quali mangeranno nell' Ospizio, si osservino le astinenze della Comunità. 3. Che circa l'uso de' latticini i monaci si conformino anche in Comunità al sistema della Diocesi. 4. Che

CAUSÆ

S. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM ET REGULARIUM DECRETA.

(1. Cum negotia majoris momenti et Consultationes quæ ad S. Cong. Episcop. et Regularium deferuntur, fortasse ratione temporum admodum frequentia sint, Eminentissimi Patres in Generali Congregatione habita in Palatio Quirinali Nonis Septembris MDCCCXXXIV, rati sunt, rem utilem fore, si exemplo aliquarum Congregationum majorum, Nonnulli Consultores eligerentur, quorum esset super dubiis, seu quæstionibus, de quibus rogaretur, sententiam suam exponere, firmis tamen mantibus antiquis institutionibus, ita ut de negotiis alicujus ponderis, deque consultationibus omnibus in plenario Auditorio semper deliberetur, et statuatur, et designetur aliquis ex Eminentissimis Patribus, qui videat et referat. Itaque Eminentissimi Patres decreverunt: « Supplicandum Sanctissimo pro admissione Consultorum juxta modum enunciatum: »

Et facta eadem die ad Sanctissimum Dominum Nostrum Gregorium PP. XVI, per D. Secretarium de præmissis relatione, Sanctitas Sua Decretum E. Patrum probavit atque sancivit.

In generali Congregatione habita 9 Septembris 1834. Eminentissimi et Reverendissimi Patres decreverunt, ut vetus et propria S. Congregationis methodus, seu ratio tractandi negotia, de quibus contentio est inter partes, accurate in posterum servaretur. Est autem hujusmodi.

1. Quotiescumque in negotiis, quæ apud S. Congregationem Episcoporum et Regularium aguntur, tum ex relationibus Ordinariorum, tum ex partium deductionibus videatur expedire, ut res ad viam juris reducatur, rescribitur: « Partes deducant jura sua coram Eminentissimo N. qui videat et referat, citata parte et concordato dubio: »

2. Coram Eminentissimo Relatore, vel ejus Auditore, adhibito S. Congregationum Notario, singuli actus, qui ad judicandum viam sternunt, conficiuntur.

3. Propterea pars diligentior coram eodem Auditore, partem adversam in jus vocat: « ad concordandum de dubio, alias videndum subscribi, et disputari infrascriptum: quod nempe in calce citationis transcribitur. »

i Religiosi dimoranti nelle Parrocchie, e quelli che per ragionevoli circostanze mangeranno fuori del monastero, possano conformarsi all' uso della Diocesi ove dimorano, o passano. »

Igitur propositio dubio « Se e come convenga approvare le proposte regole disciplinari nel caso? » E. PP. in plenario conventu diei 1 Martii 1844, rescripserunt Affirmative juxta preces. « Michlinen. Ord. Cisterciensis super nonnullis regulis abstinentiam a carnis respicientibus. »

4. Eminentissimus Relator, sive ejus Auditor vel propositum, vel aliud dubium concordat de consensu partium: sin minus, mandat partes suis juribus uti permemoriale in Sacra Congregatione.

5. Si pars citata intra terminum præfinitum non compareat, citatur pro secunda vice: « ad concordandum de dubio, necnon destinari Congregationem. »

6. Si pars in sua pertinacia persistit, Eminentissimus Relator, vel ejus Auditor concordat dubium, et Congregationem pro causæ propositione destinat, ita ut tamen spatium saltem triginta dierum intercedat; et decretum adversæ parti per Cursorem intimatur.

7. Jura autographa, quibus utraque pars utitur, quindecim diebus ante diem propositionis causæ apud D. Secretarium deponuntur; transmissa utrimque intimatione.

8. Allegationes utriusque partis decem diebus ante Congregationem tum ad Eminentissimos Cardinales, tum ad D. Secretarium, et ad Secretariam S. Congregationis deferuntur.

9. Mutua inter partes allegationum et summariorum traditio fit eadem ipsa die in domo Auditoris Eminentissimi Relatoris.

10. Responsiones triduo ante propositionem causæ distribuuntur et communicantur, ut in articulo præcedenti.

11. Resolutionem S. Congregationis Eminentissimus Relator scriptis tradit, et suo nomine obsignat, eamque D. Secretario tradit, partibus significandam.

12. Si intra decem dies pars victa iterum auditori postulet, Eminentissimus Relator novæ Audientiaæ beneficium tribuere potest.

13. Quoties cunctis suffragiis res dijudicata fuerit cum clausula: *et amplius*: vel uno tantum suffragio discrepante cum clausula: *et non concedatur*: tunc venia redeundi non conceditur, nisi a plena Congregatione.

14. Causa denuo proponitur servato modo, et terminis primæ propositionis.

15. Dijudicata causa, authenticum resolutionis exemplar ei traditur qui causam obtinuit.

16. Victor instat coram A. C., qui ut merus executor resolutionem S. Congregationis exequendam decernit.